

Heinrich Müller Johannes Georgius Böelenius

## **De Fide Parte Poenitentiae Altera Theses Theologicae**

Rostochi[i]: Kilius, 1665


**<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn740045555>**


Druck Freier  Zugang




RU theol. 1665

Müller, Henr. /6







DE  
F I D E  
PARTE  
P O E N I T E N T I Æ  
ALTERA

Theſes Theologicæ,

Quas  
DEO volente,  
&

Consentiente venerando Collegio Theologico  
in Acad. Rostochienſi

PRÆSIDE

D. HENRICO MÜLLERO,

Theol. Professore Ordinario, & ad Div.  
Mariæ Pastore,

In Auditorio Majori d. 19. Julii  
proponet publicè

JOHANNES GEORGIUS BÖE-  
LENIUS, Saxenhusâ Waldeccus.



ROSTOCHI,

Typis JOHANNIS KILII, Academiæ Typogr.

ANNO c15 13c LXV.

1665

LIBER  
FIDE

PARTI  
POTENTIALIA

Philosophiae Theologicae

Compendium vniuersae Collegio Theologico  
in Acad. Rostochensi

PARTI  
D. HENRICO MÜLLERO

Philosophiae Ordinarius & ad Div.  
Mun. Curator

JOHANNES GEORGII BOB-  
LENNIS

Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

ROSTOCK

Typographus R. H. Academicus Typogr.  
ANNO 1725

# DE F I D E.

§. 1.



Quantacumque fuerit contritio, tamen in se & extra copulam cum Fide, penitentiam veram complectente, salutaris esse non potest, quia cognita per legem indigentia salutis, non ingreditur vel salutis essentiam, vel actum salvationis; sed nudo antecessu ordinis in adultis praequiritur, uti praeclare docet B. D. Henr. Höpffnerus disp. VII. de iustif. Fides certe sola est, ob quam penitenti-

cia dicitur *penitencia eius* Galat. Act. XI, 18. & *Cornelius* II Cor. VII, 10. illa discernit inter penitentiam Saulis & Davidis, Juda & Petri; & sine illa contritio nihil aliud est, quam expeditum ad desperationem iter.

§. 2. Fides justificans quæ talis est fiducialis apprehensio gratiæ divinæ in Christo promissæ.

§. 3. Apprehensio fiducialis præsупponit assensum, & assensus notitiam.

§. 4. Notitiam esse fidem negat Bellarminus l. I. de iustif. c. 7. nos affirmamus ex Scriptura Es. LIII, 11. Luc. I, 77. Job. XVII, 3. I Job. III, 2. Quæ obijciuntur ab adversariis, ut levi sunt, ita refutata habes apud Gerbardum Tom. III. de iustif. §. 66 & 114. Grave-

E

runt

rum in A. Conf. de justif. p. § 21. Eckardum part. II. Pandect. c. 22. quæst. 1.

§. 5. Multa credimus ex verbo, quorum causam non assequimur Rom. XI. 33. Nec illa quidem omnia, quæ in verbo nobis revelata sunt, plene distinctèq; capimus. In utroque genere objecti manet implicita quædam fidei notio, à quâ fidem dicere implicitam secundum quid, nihil prohibet: at fides illa implicita, quam defendit Bellarminus l. c. & quâ jubetur credere populus, quod credit ecclesia, non fides est, sed brutus assensus. Neque etiam alienâ, sed nostrâ fide vivere nos vult Scriptura Hab. II, 4.

§. 6. Assensus quoque fides est & quidem certus & firmissimus, quippe qui in auctoritatem & veritatem mentiri nesci Dei resolvitur, quod utut verbis nobiscum afferant Pontificij, re ipsa tamen negant, quamdiu docent fidem rectius definiri per ignorantiam, quam per notitiam. Ignota rei qui firmum præbet assensum, meo quidem iudicio, demens est. Wer kaufft im Sack?

§. 7. Cæterum nec notitia, nec assensui vis justificandi competit nisi radicaliter, quatenus sunt radix fiducia, cui proxime in ratione causandi organica vis illa adscribitur.

§. 8. Potissimus ergo actus fidei justificantis est fiducia, quâ promissionibus Evangelij meritum Christi ad remissionem peccatorum & sufficiens & à Deo destinatum ut imputabile ad justitiam nobis offerentibus cum lætâ animi participatione & immotâ constantiâ confidimus, in iisq; securè acquiescimus. Respectu huius fidei tribuitur in Scriptura πληροφωσία Rom. IV, 21. ἰερός & Matth. IX, 22. participatione Epb. III, 12. καὶ χάρις Rom. V, 3. ἐπιζήλωσαν ὑποστάσις Hebr. XI, 1.

§. 9. Et quidem non fiducia tantum fides est generalis, sed & singularis ac cuiusque salvandi propria. quod & dictis Scriptura præbat Habac. II, 4. Rom. I, 17 Gal. III, 11. & exemplis, imprimis Pauli Gal. II, 20. Phil. III, 10. II Tim. IV, 7.

§. 10. Pontificij fiduciam à fide omninò diversam esse volunt, quin

quia & subjectis & natura differant. & illa hujus sit effectum. Differre subjectis probant, quia fides in intellectu, fiducia in voluntate sedem habeat; differre natura, quia fides sit rei presentis, fiducia futura; fiduciam esse fidei effectum, quia nemo possit certo considerare peccata sibi esse remissa, nisi jam per fidem sit justificatus.

§. II. Sed quicquid horum obtendant, nihil tamen obtinebunt. Nam quod ad primum attinet, fidem & in intellectu, & in voluntate residere docemus, in intellectu, quatenus est assensus; in voluntate, quatenus est fiducia. Bellarmino opponenti, fieri non posse, ut una virtus sit in duabus potentiis genere distinctis l. l. de justis, c. 6. respondemus ex Thoma l. II. qu. 56. art. 2. ad 1. eundem actum non posse æqualiter & eodem ordine pertinere ad diversas potentias, posse tamen secundum diversas rationes & diverso ordine. Alia est ratio objecti, sub qua fides fertur tanquam in verum, unde assensus gignitur; alia sub qua bonum presens amplectitur, unde fiducia nascitur. Ratione ergo subjectorum non differunt proprie loquendo fides & fiducia, sed distincti fidei actus, assensus & fiducia.

§. II. Secundum quod concernit, fiducia in actu justificationis s. quæ justificat, non est rei futuræ ut futuræ, sed ut impræsens offertur tanquam imputabilis ad salutem. Fiducia Patrum in V. T. objiciebatur quidem meritum Christi futurum, at non ut futurum, sed ut presens virtute actu justificat. Non negamus quidem fidem subinde spem nominari, latè accepto vocabulo pro fiducia, at semper & omni modo cum spe coincidere, id verò pernegamus. Fiducia est firma spes; non autem quælibet (spes est fiducia.) Præterea spes futuræ tantum est, fiducia verò etiam presentis rei, veluti cum quis fidit suo robori, dum gerit sarcinam; vel celeritati, dum currit: nisi enim fiderem nervis dum moveor, non auderem me movere, inquit Scaliger exerc. CCC. XIV. sect. 1. Distingui etiam hic volumus actum fiduciae fidei, qui competit fidei justificanti

justificanti quâ justificat, ab iis, qui sese exerunt in jam justificatis: ille pro objecto habet meritum Christi ut imputabile & confidit de presenti gratia oblatione. Hi versantur circa meritum Christi ut imputatum & de gratia divina jam collatâ lati, fiduciam concipiunt accedendi Deum & implorandi ejus opem, conjunctam cum fiducia de divina sapientia, veritate, potentia ac bonitate in consequendis iis, quæ deprecantur, bonis.

§. 13. Quâ tertium, omnis quidem fiducia oritur à fide, quatenus hæc assensus est verbo Dei præbitus; at quatenus simul includit fiduciam, ut actum suum principalem atque proprium, non nisi ea ex fide nascitur fiducia, quam in justificatis sese exerere jammodò diximus.

§. 14. Easdem cum Pontificiis inflat tibias Petrus Molinaus, Professor Sedanensis, vir aliàs accuratissimus atque eruditissimus, qui disp. II. de fid. justif. §. 18. 19. 20. 21. Pontificiorum argumentis hæc superaddit 1. quod si fiducia sit pars fidei, sequatur, trepidationem fiducia oppositam esse partem incredulitatis. 2. Quod Scriptura Epb. III, 12. I Tim. III, 13. fidem à fiducia aperte discernat. 3. quod aliud sit credere, aliud confidere. Sed resp. ad 1. trepidationem opponi fiducia non omni, sed firmæ; etiam sancti in angustiis positi nonnunquam trepidant, qui tamen fiducia non destituuntur nisi intensâ. Trepidatio luctantium infirma fidei; at in lucta superantium incredulitatis nota est. Ad 2. Quando in Scriptura junguntur fides & fiducia, ut distincta, tunc distinguuntur non diversi actus unius fidei, sed unius actus diversi gradus, sic ut superior quidem fiduciæ appellationem sortiatur ut i. ex. xlvi, inferior autem fidei nomen retineat, Ad 3. Ipse Molinaus concedit, quod apud Latinos auctores credere aliquando sumatur pro confidere, ut apud Virgil. Eclog. II. Nimum ne crede colori & Eclog. III. Non benè ripæ creditur. Nos, si maxime concedamus, non esse idem credere aliquid aut alicui & confidere, negare tamen non possumus, coincidere

*incidere hac duo, confidere & credere in aliquem, maximè ubi de Deo sermo est. Hinc ipsa Scriptura exegeticè fidem exponit per confidentiam, Psal. LXXIIX, 22. Non crediderunt in Deum, nec confisi sunt in salute ejus. Et credere in Deum est totum se rejicere in Deum, inquit Hieronymus in Marc. XIV.*

§. 15. *Ceterùm hac ipsa fiducia, ut ad pœnitentiam salutarem est necessaria, continet in se quatuor actus voluntatis & affectuum. 1. desiderium meriti Christi, ut rei justifica: quod serium est, si conscientia pœnitentis peccatoris ardentem in se gemitus, serium dolorem de peccatis & sensum iræ divinæ insequentem ac cum primis justitiæ Christi imputationem quærentes sentiat, & per verbum ac Sacramenta appetat. 2. Apprehensionem rei desideratæ, non per nudum intellectus assensum, sed etiam per voluntatis consensum factam, quo pertinent pronomina possessiva, ut cum Thomas inquit; DEUS mi & Domine mi. 3. Adhæsionem & unionem cum re desideratâ Rom. VIII, 1. Gal. II, 20. 4. Quietem super apprehenso & sibi per apprehensionem voluntatis unito Christo, quæ omnia latius deducit H. Hopffnerus Tract. pract. de Cœn. Dom. Sect. I, art. I. c. 9.*

§. 16. *De Subjecto fidei supra. Objectum fidei, quatenus est notitia & assensus, sunt omnes articuli fidei, s. universum Dei verbum Rom. X, 17. Quamvis enim primariò & per se non sint de fide omnia, quæ continentur in Dei verbo, h. e. non pertineant ad fidei dogmata & articulos, ut omnia illa scire explicitè sit de necessitate salutis; tamen est de fidei & salutis necessitate credere omnia illa *ἰστούμενοι* ad plenitudinem cognitionis ecclesiæ fuisse consignata, inquit Maresius loc. XI §. 36.*

§. 17. *Objectum fidei, quâ fiducia est, ad æquatum sunt promissiones gratiæ; proprium verò atq; proximum illa, quæ est de Christo mediatore. Job. XVII, 3. Gal. II, 16. I. Tim. I, 15. 16.*

§. 18. *Fiducia ergò quâ justificat objectum non sunt quavis promissio-*

*promissiones gratuita, sed illa, quæ promittit remissionem peccatorum in sanguine Jesu Christi. Ut enim fides, quatenus fiducia est, apprehendat quoque reliquas promissiones gratuitas de bonis spiritualibus & corporalibus, tamen eatenus non justificat, sed tantum quatenus apprehendit Christi meritum in Evangelio oblatum ut imputabile ad salutem.*

§. 19. Uno verbo: Objectum fidei justificantis quæ justificat est obedientia Christi, qui est finis legis ad justitiam omni credenti Rom. X, 4. à quo objecto tamen non separamus gratiam Dei, acceptantis hanc obedientiam ad nostri justificationem; nec media per quæ illa offertur. jubemur enim credere in nomen filii Dei, h. e. in ejus meritum, prout in verbo gratia patefactum est, Job. 1, 12.

§. 20. Forma fidei justificantis ut sic est appropriatio & applicatio meriti Christi fiducialis, quæ illud amplectimur ut nostrum. Scriptura illam significantissimis verbis exprimit, cum eam nominat *πιστοδοχίω, λήψω, κερτάληψω, εὐδολήψω.* Job. 1, 5. 11. 12. I. Timoth. 1, 15. quæ vocabula intelligenda sunt non philosophicè de contemplatione mentis per notiones intelligibiles res cognoscentis & apprehendentis; sed theologicè, de practica promissionis gratia applicatione, quæ quisque fidelis gratiam Dei in Christo ex Evangelio cognitam fiducialiter sibi applicat, & in ea acquiescit Gal. 11, 20.

§. 21. Pontificii formam fidei, si non intrinsecam & informantem, extrinsecam tamen & assistentem volunt esse charitatem, contra quos egimus Semic. 1, 9v. 5. Implicat certè fidem dari informem, quoniam forma est quæ dat esse rei. Neque verò effectus potest esse forma sua causa. At charitas ex fide fluit, Gal. V, 6. I. Tim. 1, 5.

§. 22. Utut verò per apprehensionem meriti Christi fiducialem nobis obtingat justitia & salus, non tamen habet fides virtutem justificandi ex dignitate actus sive apprehensionis in nobis existentis,

existentis, sed omnem illam causalitatem acceptam refert merito Christi, in quod fertur. Habet enim se fides per modum causa instrumentalis moralis, quatenus non propria vi sua, sed merito objecti sui justificat: quem modum intellectu & explicatu impossibilem temerè judicat Dominicus Soto l. II de nat. & grat. c. 13.

S. 23. Proxima affectio fidei, quæ formam spectata, est *πίστις* & *πίστις*, certioratio plena atq; firma persuasio Rom. IV, & VIII omnem dubitationem excludens, de quâ actum in disp. de Justif. conf. B. Hopffnerus de justif. disp. VII & VIII. & Job. Tarnobius disp. de certitud. grat. Dei.

S. 24. Fides ergò non debet esse dubia. Deum enim mendacii arguit dubitatio, & manifestè in Scriptura reprehenditur Rom. IV, 20. I Job. I, 10. Hebr. X, 23. Non est superbia Deo credere, & firmâ fide promissionibus ejus inharere. Illudit Deo, qui cum Deum quotidie appellat Patrem, proficitur se dubitare an sit filius Diaboli. Nec habent quod de humilitate sua gloriantur adversarij, qui merita sua jaectant caelòs, se quam maximè dignos esse asserere haut verentur. Si objiciant, frustra peti à Deo remissionem peccatorum, de qua iam certi sumus; & frustra eum esse de salute sua sollicitum, qui non minus certus sit de ea adipiscenda, quàm si jam ejus esset compos. Resp. Media ad finem non esse collidenda cum fine. Certi utique sumus ex promissione divina sustentaturum Deum corpora nostra pane quotidiano, nostrum tamen est & orare & laborare. Ex revelatione divina certus erat Paulus neminem de vectoribus, qui erant in navi, submersum iri, idem tamen nautas hortabatur ad laborem.

S. 25. Non est, quod infirmitatem obtendant Tridentini, qui, Quamvis, inquirunt, nemo pius de Dei misericordia, de Christi merito, deque Sacramentorum virtute & efficacia dubitare debeat, quilibet tamen dum seipsum suamque propriam infirmitatem & indispositionem respicit, de sua gratia formidare

formidare & timere potest, cum nullus scire valeat certitudine fidei cui non potest subesse falsum, se gratiam Dei esse consecutum. *Contrarium disp. cit. dedimus evictum. Infirmetas nulla tanta esse potest, quae certitudinem tollat. Non enim quam perfecta poenitentia sit, sed quam vera & seria Deus spectat. Et qui verè poenitens est, etiam infirmitatem suam agnoscit, & id quoque dolet, quod satis de peccatis suis dolere non possit.*

S. 26. Parum quoque promovent causam adversariorum verba *Jona c. III, 9. Quis scit, an reversurus sit &c. quae in patrocinium dubitationis advocat Bellarminus l. III. de Just. c. 6. S. 4. Fideles enim, quando hac phrasi utuntur, non ex diffidentia id faciunt, sed ex comparatione confidentiae in Deum cum sua propria infirmitate; nec propter ipsos plurimum sed magis propter alios adhibent, ut fiducia rerum consequendarum magis magisque accendatur. Lutherus in Joël. II. phrasi huic inesse dicit affirmationem, cum voto, quod non adeo alienum est à consuetudine Hebraeorum, qui interrogando & optant Num. XI, 29. Ps. CVIII, 11 & vehementissime affirmant Gen. XIII, 9 I. Reg. XXII, 39. Apud Graecos certe particula εἰ & εἴως interdum significant non dubitationem, sed rei difficultatem, quae desiderium acuat Rom. XI, 14. Phil. III, 11, 22 Targum Jonathanis verba *Jona* non dubitative, sed assertive exhibet, **מן ידע דאורא בידרא חובין יתוב מנהון ויתרהב** Quisquis penes se existeret peccata agnovit, avertatur ab eis, & misericordia fiet illi à Domino, atque avertetur à vehementia irae suae, nec peribimus. *Videtur Prophetæ hoc loquendi modò uti tum propter perterrefactos, qui vix eriguntur, ut bonum oblatum à Deo optent; tum securos, qui nullam sibi veniam impetrande difficultatem proponunt. Si quæ tamen hoc in loco dubitatio statuenda, non ea ad remissionem culpæ, sed mitigationem poenarum temporalium, quæ non nisi sub conditione promissa, referenda est. Ita sentiunt ex adversariis,**

versariis ipsis Caspar Sanctius, Petrus de Figueiro, Cornel. à Lapide  
& Franciscus Ribera ad h. l.

§. 27. Quod de incertitudine fidei atq; pœnitentiæ af-  
fert Bellarminus retunditur loco Paulino II. Cor. XIII, 5. in quo jube-  
tur unusquisq; excutere conscientiam suam, an tangatur seria pœni-  
tentia, & an habeat veram fidem. Non esse hic sermonem de fide  
dogmatica, uti volunt Vega l. IX. de justif. c. 22. & Lapidensis ad  
h. l. prolixè satis & nervosè demonstrat Estius. De fide miracu-  
lorum agi volunt Bellarminus l. III. de justif. 9. & Becanus l. II.  
Man. qu. 7. Sed errant. omnes fideles jubentur sese probare, an  
sint in fide. At quia non omnes eo tempore miracula edeban, certè  
non omnes ex miraculis de fide poterant certiores reddi. De fide  
salvifica loqui Apostolum patet rùm ex scopo, qui erat hortari Corin-  
thios, ut non tantum studeant dici, sed etiam esse Christiani, ad quod  
opus erat probatione sui exactiori: tum ex adjunctis illius fidei, de  
qua hic sermo est, ut quod per eam Christus in nobis habitet, & fide-  
les à reprobis distinguantur. Ita Theodoretus in h. l. σκοπεῖτε, εἰ ἀ-  
ληθῶς ἴσθι τῆς πίστεως ἐληφεισμένοι ἐστέ. Προσῆκει γὰρ ὑμῶς εἰδέναι ὅτι ἀ-  
πὸ τοῦ ἐνοικοῦν ἔχετε τὸν θεοῦ ὄντως ἔχοντα. ὁ γὰρ πᾶσι τοῖς ἔχουσιν τὸν νόμον, τῆς  
πίστεως ἐσημ. Τῆτο γὰρ εἶπεν, ἀδίκιοι. Considerate an verè si-  
tis in fide fundati, Oportet enim vos scire, quod ipsum Chri-  
stum Dominum inhabitantem in vobis habeatis. Qui enim  
non habet hanc cognitionem, fide destitutus est; hoc enim di-  
xit reprobi.

§. 28. Non autem hoc volumus, quando dubitationem omnem  
abs fide semotam esse cupimus, quasi fides nunquam dubitationibus qui-  
busdam infestetur, quod quotidiana refragatur experientia: sed di-  
stinguimus inter dubitationem, qua fidem vincit, & eam qua fi-  
dem tantum impugnat. Illa nihil aliud est, quam stolidi rationis  
disceptatio, qua assensum omnem expellit atque fiduciam. Et talis  
dubitatio non habet locum in fide, quin potius fidei è diametro opponi-  
tur. Quid enim magis est contra fidem, quàm credere nolle,

F

quic-

quicquid non possis ratione attingere? inquit Bernbardus Ep.  
 CIX. Hæc assensum tantum & fiduciam aliquantum imminuit, nec  
 cum objectis scrupulis luctari desinit, quæ lucta, siue sit in assensione,  
 siue fiducia, non est signum incredulitatis, sed vera fidei character in  
 fallibilis. Certitudo enim fidei omnes dubitationes à renatis,  
 ob reliquam eorum infirmitatem, non excludit, per luctam ad-  
 versus dubitationes, tam theoreticas quàm practicas, à DEO  
 piis mandatam; quæ lucta si obnitatur dubitationibus, ita ut  
 insultus concupiscentiæ superentur, certum est indicium præ-  
 sentis fidei. Satis enim est ad certitudinem fidei in hac vita  
 prævalere spiritum adversus tentationes carnis: cum certitu-  
 do nulli tentationi obnoxia sit alterius vitæ propria, uti loqui-  
 tur Hoffnerus l.c.

S. 29. Affectio fidei ratione objecti est, quod sit firma. E-  
 tiam tum quando ratione qualitatis inhaerentis infirma valde fides  
 est, firmissima tamen est ratione objecti justifici, quod est meritum  
 Christi in promissione gratiæ oblatum. Dum apprehendimus Chri-  
 stum manu tremulâ, magis ipsi apprehendimur à Christo Phil. III, 13.  
 dum cognoscimus Deum, potius ipsi ab eo cognoscimur Gal. IV, 9. dum  
 fide credimus infirma, opem fert incredulitati nostræ Dominus Marc.  
 IX, 4. Satis firmiter nos tenet manus Dei, quamdiu illam non temerè  
 dimittimus.

S. 30. Affectio fidei ratione graduum est, quod in aliis  
 firma sit, in aliis infirma; imò in uno eodemq; subjecto modò firma,  
 modò infirma, modò fortis, modò imbecilla; modò lux ardens, modò  
 linum fumigans Es. XLII, 3. modò robusta & magna, modò exigua  
 Matth VI, 30. & modica c. XIV, 31.

S. 31. Est tamen infirma fides vera fides, sicuti agrotus homo  
 verus homo, lippiens oculus verus oculus, manus tremula vera ma-  
 nus, lingua balbutiens vera lingua est. Majus & minus non mutant  
 rerum species, & quam fides habet justificandi virtutem, eam non  
 ex magis aut minus firma apprehensione, sed objecto habet apprehen-  
 sionem.

benso. *Arundinem quassatam non confractus est Dominus Es. XLII, 3. sed suscepturus potius infirmum in fide, Rom. XIV, 3. quod discipulorum constat exemplo Matth. XIV, 31. & Reguli Job. IV, 18. & patris lunatici Marc. IX, 24.*

S. 32. *Etiam desiderium fortioris ac firmiteris fidei, quale fuit in patre lunatici Marc. IX, 24. & discipulis Luc. XVII, 5. presentis vera fidei τρυφήν est. Lutherus in Postill. Eccles. ser. II. Pentec. p. 151. Wiewol es noch in grosser Schwachheit zugehet / und mans auff Erden nimmermehr also erlangen / noch den Glauben also fñlen kan / wie man solt / sondern noch immer bleibe im wñnschen und seuffzen des Geistes / welches auch dem Menschen selbst unaussprechlich ist / da das Herr sagt; O daß es waare wäre! Ach / wer es könte gläuben! Aber / dennoch thut solch Seuffzen und Fñcklein des Glaubens so viel / daß es Gott für völligen Glauben rechnet / und spricht; wie du gläubest / so geschehe dir. Imò & ex desiderio desiderii ardentioris & lucta ipsa in desiderio cum trepidatione aliisq; infirmitatibus, quamdiu illa perpetuatur, presentiam fidei, infirma utut, vera tamen, colligere possunt tentati.*

S. 33. *Non negamus tamen, infirmitatem fidei adhaerentem esse peccati quandam speciem. Agnoscenda ergò illa est, deploranda & deprecanda: reluctandum ei atq; medendum per usum verbi & Sacramentorum, imprimis cœnae Dominica; invocandus quoque Deus ut conferat, & collatam consolidet atq; augeat fidem. Marc. IX, 24. Luc. XVII, 7.*

S. 34. *Neg, etiam ex sensu presentis vel fidei vel gratia divina de presentia aut absentia fidei judicandum est. Sensus enim ille non constituit fidem justificantem quã talem in esse suo, sed constitutam demum consequitur. Nec evidens iste sensus semper competit fidei justificanti, sed sæpè est obscurus imò ferè nullus, subtrahente Deo sensum pacis & gaudii spiritualis, ut tantò reverentius habeamus media per qua fides accipitur & retinetur, ac discamus non propter fidem, sed Christum fide apprehensum nos justificari.*

§. 35. Affectio fidei ratione objecti simul & formæ est unitas. Objectum justificum unum est, meritum nempe Christi abs nobis unice apprehendendum; actus quoque formalis fidei justificantis quæ talis, quo in objectum hocce tendit, unus est, nempe apprehensio meriti Christi fiducialis.

§. 36. Ratione tamen graduum subjectorumve non est una fides. Omnes quidem fideles habent fidem ἰοῦντοι II. Pet. 1, 11 ratione nempe objecti & formæ, quia infirma fides non minus apprehendit meritum Christi atq; firma, & sic una eademq; est fides omnium credentium Eph. IV, 5. mensura tamen fidei non est eadem Rom. XII, 13. sed aliis datur major, aliis minor: deinde, alia est fides paralytici, alia mulieris Cananææ, alia patris lunatici, si subjecta respiciatur diversa.

§. 37. Effectus fidei duplex est, immediatus & mediatus. Ille est justificatio, & hujus, si in fide perseveremus, salus æterna Rom. VI, 22. Tit. III, 5. hic est renovatio, spes, charitas, & qua per charitatem fides operatur reliqua bona opera Gal. V.

§. 38. Affectio fidei, ratione effectus immediati, est quod sola justificet absq; operibus tam gratiæ, quam naturæ.

§. 39. Justificare fidem organicè docet scriptura, quando testatur hominem justificari, gratiam accipere, vivere in Christo ἡσθε Rom. III, 28. Ἀφ' τῆς πίστεως v. 30. μετὰ πίστεως I. Tim. 1, 14. Ἰνὰ τὴν πίστιν Phil. III, 9. καὶ πίστιν Tit. 1, 1. 4. ἐν πίστει Col. 1, 23. ἐκ πίστεως Gal. III, 7-8. 9.

§. 40. Sola fide justificari hominem scriptura non obscure asserit, quando in effectu justificationis fidem ita opponit operibus, ut illi tribuat, his denegat illum effectum Rom. III, 28. c. IV, 3. quando dicit, non justificari hominem ἐὰν οὐκ ᾖ ἐκ πίστεως Gal. 11, 16. fide justificari hominem χωρὶς ἔργων νόμου Rom. III, 28. et, qui non operatur, credit autem in eum, qui justificat impium, imputari fidem ad justitiam c. IV, 5.

§. 41. Scripturæ suffragantur Patres, Doctores Scholastici, &

Et ex recentioribus Pontificiis scriptoribus hanc uni, uti probatum dedimus disp. de just. Et Semic. II. q. 28. S. 4.

S. 42. Calumniatur ergo Bellarminus, quando l. I. de justifi-  
c. 16. Lutherum depravationis Bibliorum reum agit, quod in versione  
sua Germanica Rom. III. 28. ausus fuerit inserere vocem sola, quae non  
in græcis fontibus, nec in latinis translationibus extet. Ipse Luthe-  
rus versionis suae rationem epist. de var. interp. exponit hanc; Daß ist so  
die Art unsrer teutschen Sprache / wenn sich eine Rede begibt  
von zweyen Dingen / deren man eins bekent / das ander leugnet /  
so brauchet man im teutschen das Wort allein neben dem Wörtlein  
nicht oder kein / obs schon die lateinische oder griechische Sprache  
nicht herzusetzen. Quid quod Confluentia in Bibliotheca Jesuitarum  
Biblia Germanica legunt, Allein durch den Glauben / Et Italica,  
Versio Venetiis exeunte seculo superiore excusa Gal. II, 16. habet;  
sola per le fede.

S. 43. Solam cum dicimus justificare fidem, non excludimus  
causas alias coordinatas, gratiam Dei, meritum Christi Et Sacramen-  
ta, sed in eodem genere causa à parte hominis causas alias instrumen-  
tales nempe opera.

S. 44. Nec particula sola in hac propositione, sola fides ju-  
stificat, est exclusiva societatis, excludens compresentiam bono-  
rum operum, sed determinat totam propositionem sive modum conne-  
ctendi predicatum cum subjecto, Et est exclusiva subjecti, hoc est.  
excludit omnia alia subjecta à participatione predicati, sc. justifica-  
tionis. Fides enim justificat, Et quicquid non est fides non justificat  
in hoc genere causa, à parte nostra.

S. 45. Renovationem Et bona opera fides non immediate effi-  
cit, sed mediate Et ordine prius interveniente justificatione: non  
enim potest quod justum est facere homo antequam ipse iustus factus sit.

S. 46. Affectio fidei ratione utriusque effectus est, quod  
sit viva. Ratione immediati effectus viva est à priori Et formaliter,  
quatenus Christum Et in Christo vitam apprehendit Gal. II, 20. ratione

vero effectus mediati à posteriori & signotenus, quatenus per charitatem (non efficitur, sed) cognoscitur viva, Gal. V, 6. dum actibus vitalibus essentiali vitam suam ostendit. Illa vocatur vita regenerationis, hac renovationis. Utramq; conjungit Bernbardus in epist. de vit. solit. quando, In ipso (Christo) inquit, vivimus per fidem, movemur ac promovemur per spem, agimur per charitatem. Sicut enim corpus hominis ab anima vivificatur, ut illud vivat tum habitualiter & actu primo, tum effective & actu secundo, & per illum respectum intrinsecè ac formaliter, per hunc vero effective vocatur vivum, & à corpore mortuo per actiones vitales dignoscitur: ita & fides vivificatur.

S. 47. Fides viva in subiecto justificatione non potest esse sola sive separata à bonis operibus. Per fidem enim à Deo in justificatione immensa beneficia accipimus, ideo illa post justificationem per charitatem est operosa Gal. V, 6. ubi autem charitas, ibi observatio mandatorum Dei. I. Job. II, 5. Contrarium statuit, sed non probat Bellarminus l. 1. de justif. c. 3. & l. 1. de amiss. Grat. & stat. pecc. c. 8. Certè proprium & immediatum effectum inseparabile est à propria & immediata causa.

S. 48. Locus Job. XII, 42. quem in patrocinium cause advocant Bellarminus l. 1. de just. c. 15. Congen & Estius ad h. l. non agit de vera & salvifica istorum hominum fide, quod subiecta apud Evangelistam determinatio non obscure innuit, qua dum negat confessionem & dilectionem, effectum proprium & necessarium, ipsam causam quoque negat, veram & justificantem fidem. Utut autem largiamur principes illos habuisse initio aliquid fidei, non tantum ratione notitia & assensus, sed & ratione aliqualis fiducia, quia tamen dilexerunt gloriam hominum magis quam gloriam Dei, dicimus in lucta carnis & spiritus illam qualemcunque fiduciam in iis extinctam, & mansisse solum assensum, de quo jam non est questio.

S. 49. Latronis conversi fides non fuit solitaria, sive separata à bonis operibus, quod ostendit ejus confessio de Christi misericordia

dia, charitas Christiana in correptione socii blasphematoris & invitatione ad pœnitentiam, patientia in crucis supplicio, quamvis presentia horum operum non fuerit causalis ad salutem, quod volunt Origenes, Ambrosius & Chrysostronus, cum negant latronem habuisse bona opera.

§. 50. Distingvi tamen hic volumus inter propositum bene operandi, & exercitium bonorum operum: illud abs fide, se jungi nullatenus potest, hoc deesse potest in subjecto, cui post sui conversionem occasio, facultas & tempus bene operandi deest.

§. 51. Ipsum propositum bene operandi verò abstrahi potest à fide justificante quâ justificat per præcisionem, uti loquuntur Philosophi, quia propositum illud non ingreditur actum justificationis, neq; est causa salutis, sed effectus fidei: at conceptus abstractionis tam privativus, quo cogitatur illud propositum nullo modo adesse; quàm positivus, quo contrarium ejus, quod sunt peccata contra conscientiam, admittitur, omni modo falsus est.

§. 52. Finis fidei est gloria Dei Rom. IV, 20. & salus æterna. I. Pet. I, 9. Hebr. X, 39.

§. 53. Fides vera est vel temporaria Matth. XIII, 20. 21. 22. Marc. XIV, Luc. II, 13. 14. vel finalis I. Tim. I, 19. Apoc. III, 11.

§. 54. Quomodo ex mente Calvinianorum differant fides justificans & fides temporaria, in actis Synodi Dortrechtanae exponunt Theologi Palatini p. 796. his verbis: Fidem *περὶ χρόνου* temporariam & perseverantem temporis solum ac durationis adjuncto discriminant Remonstrantes: veritate, naturâ, effectis, h. e. tota specie differre non agnoscunt. Et tamen posteriore modò à se invicem non minus evidenter distinguuntur in Scriptura, quàm priore: quin differentia illius, quæ ex duratione est, fundamentum ponitur in diversitate veritatis ac speciei, cum duratio index sit veritatis, veritas autem principium durationis, quod patefcet, si secundum locos inventionis, prout in themate simplici fieri consuevit, differentia præcipua κατὰ ἀντίθεσιν propo-

proponantur. Primò igitur differunt causa efficiente tam remota, quam propinqua. Causa remota fidei perseverantis est gratia electionis Act. XIII, 48. Rom. VIII, 29. 30. fidei temporaria gratia communis, ex qua reprobis etiam varia *χαρισματα* dispensat Deus ad ædificationem ecclesiæ: quæ gratiæ gratis datæ appellari solent, argumento loci I. Cor. XII, 8. 9. 10. & XIII, 7. seqq. Causa propinqua illius est spiritus renovationis Tit. III, 7. regenerationis Joh. III, 3. adoptionis Rom. VII, 13. istius, spiritus illuminationis Hebr. VI, 4. Secundò differunt subjecto, tum  $\tilde{\epsilon}$ , quod in fide perseverante est electus Tit. I, 1. Rom. XI, 7. Act. XIII, 48. in temporaria reprobis Matth. XXIV, 11. & 24. I. Joh. II, 19. tum  $\epsilon\tilde{\nu}\tilde{\omega}$ , quod illic est intellectus cognoscens, & voluntas sive cor acquiescens in promissione & sensu gratiæ Luc. VIII, 15. Act. X, 37. Rom. X, 9. 10. Eph. III, 17. hic intellectus tantum, vel etiam cor aliunde quam ex vivifico gratiæ sensu dilatarum Luc. VIII, 13. Hebr. VI, 4. 5. Tertiò differunt forma, Nam in fide perseverante est fiducialis Christi apprehensio, per quam in ipso radicatur credens Col. II, 7. Jer. XVII, 7. 8. & quam *ῥεῖωμα τῆς πίστεως* Apostolus nuncupat Col. II, 5. contra, fides temporaria radicem non habet, Matth. XIII, 30. Luc. VIII, 13. Quartò differunt sine & effectis. Finis fidei perseverantis est salus animarum Hebr. X, 39. I. Pet. I, 5. & 9. temporaria non item Matth. XXIV, 13. Effecta illius varia sunt, de quibus Rom. V, 6. imprimis autem gaudium solidum & constans. Joh. XVI, 22. in mediis afflictionibus perdurans Rom. V, 3. quod inde gaudium fidei vocatur Phil. I, 25. at nec illud Luc. VIII, 13. nec certa effecta ex temporaria proveniunt. gaudium enim ejus est cum ipsa evanidum. Quintò differunt adjunctis sinceritatis & durationis. Sinceritatis, quia fides perseverans *ἀνυπόκριτος* est I. Tim. I, 5. temporaria hypocritical. Joh. II, 19. Luc. IX, 8. Durationis, quia perseverans permanet Luc. XXII, 32. temporaria deficit Matth. XIII, 20. 21. I. Joh. II, 19. Antithesis igitur hæc esto: Fides

des ~~des~~ vera & justificans fides non est, nec ad salutem placet Deo: à fide autem ad finem usque perseverante specie differt. *Hac Palatini, quibus addi possunt judicia Professorum Belgicorum pag. 355. deputatorum Ecclesiarum Frisia. p. 411. Transylvania, p. 40. Drentanorum p. 431. deputatorum Synodi Groninga & Om-landiarum p. 444.*

S. 55. *Multa ad hac erant monenda. At nobis hac vice satis erit contra Antitbesin Reformatorum banc tueri thesin: Fides temporaria eadem specie sive essentia est cum fide justificante. Cui probationis loco substruimus hunc unicum syllogismum: Quicquid habet omnes partes essentielles fidei justificantis, id non differt specie sive essentia à fide justificante. Atqui fides temporaria &c. E. &c.*

S. 56. *Majorem hoc modo limitandam esse adversarii volunt; Quidquid habet omnes partes fidei justificantis durantes in perpetuum &c. Sed limitatione hac non opus erat, quia duratio non pertinet ad essentiam fidei, sed fidei in esse suo constituta demum accedit.*

S. 57. *Minorem plane negant adversarii, & quidem I. quà notitiam. Temporarii, inquiunt, non habent distinctam omnium articulorum fidei, & inter hos absoluti decreti, notitiam. Resp. 1. distincta sive explicita credendorum notitia suos admittit gradus, qui non variant speciem. 2. absoluti decreti notitia non est necessaria, quia nullum illud habet in Scriptura fundamentum. II. quà assensum. Assensio, inquiunt, temporaria fidei ad cor ipsum usque minime penetrat, ut illic defixa resideat, sed similis est levi tactui & gustui; Hebr. V. 15. & quanquam radices egisse interdum videatur, viva tamen ille non sunt. Resp. 1. Temporarios reprobos credere Deum sibi propitium, ipse Calvinus admittit l. III. Inst. c. 2. S. II. corde autem quia creditur ad justitiam Rom. X, 10, necesse est eorum fidem etiam ad cor usque penetrare. 2. Gustum non semper contradistringi esui*

Et inhibitioni prater experientiam scriptura ipsa testatur I Sam. XIV, 29. II Sam. III, 35. 3. Comparatio fidei cum arbore quoad radicem altè in terram defixam non satis videtur congrua. Duratio enim non est pars integralis fidei, ut radix arboris, III. quà fiduciam. Temporarit, ajunt, non possunt pleno ore clamare, Abba pater, nec sensum gratiae nisi confusum percipiunt, quia peccatorum remissionem spiritus propriè in solis electis obsignat, ut eam speciali fide in usum suum applicent. Resp. 1. Cui fidei *Ἰησοῦς* invocandi Deum ut patrem Et quoad potentiam, Et quoad actum deest, illa destituitur fiducia. Alias etiam verè fideles in tentationibus constituti, cum sibi videntur projecti à facie Dei Ps. XXXI, 23. non diligi paternè, non tractari filialiter, quia ipsis male, malis verò bonè Ps. LXXIII, 2. in filiali fiducia Deum accedere non audent. 2. non soli electi, sed Et renati ut tales habent signaculum Spiritus S.

S. 58. Vera ergò viva Et integra fides potest totaliter amitti, tam *δωράει*, quàm *ἰεργεία*. Dico; vera sive viva cujus oppositum est fides mortua, quæ est habentium speciem pietatis, cujus vim abnegant II Tim. III, 5. Tit. I, 16. Jacob. II, 14. dico integra, ad removendum ab hac controversia fidei verè a principium, ut loquitur Calvinus l. c. sive initium aliquod Et rudimentum regenerationis, ut habet Crocius de persever. Sanctior. l. III, c. 3. Dico tam *δωράει*, quàm *ἰεργεία*. Vera enim fides cum considerari possit vel ut habitus à Deo infusus, quod semen fidei appellant nonnulli ex I Job. III, 9. vel ut actus, de priori esse controversiam, non de posteriori volunt Zanchius part. 1. miscell. p. 448. Paraus l. I. cont. Bellarm. de justif. c. 10. Sturmus diatrib. p. 138. Dico totaliter, Nam actualem fiduciam per peccata mortalia minuit tantum, non prorsus amitti docent Beza part. II. ad colloq. Mompelg. p. 68. Bucanus in instit. l. XXIX, qv. 27. Treleatius l. III, Inst. loc. de fide. Dico, potest, Adversarii enim dum negant verè fideles, per quos illi solos electos intelligunt, unquam posse amittere fidem, respiciunt ad propositum electionis divinum, quod fingunt absolutum,

51  
solutum, secundum quod eos Deus vocaverit, fide donaverit, justifica-  
verit, id quia excidere in electis nequeat, etiam fidem amitti posse  
negant: quod nos quæ electos secundum propositum ordinatum, de  
finali amissione, non totali, concedimus.

§. 59. Fidei habitus, in iis qui peccant mortaliter, citrà  
operationes ad intra & extrà remanens, post amissum actum, non est  
fides vera, tum quia conjunctus est cum timore servili Gen. III, 8.  
tum, quia non salvat, uti ipsi nobiscum agnoscunt adversarii, impri-  
mis Crocius l. c. l. I, c. 3.

§. 60. Actum fidei justificantis, utut imminutum, remanere  
in peccantibus contrà conscientiam disertè negat scriptura, cum pec-  
catis regnantibus fidem penitus excuti docet Rom. VIII, 13. I Cor. VI,  
9. 10. Gal. V, 19. I Tim. IV, 1. VI, 10. II Pet. I, 9. I Tim. I, 19. conf. (e-  
mic. I, quest. 43.

§. 61. Scriptura suffragatur orthodoxa Antiquitas. Orige-  
nem, Athanasium, Ambrosium, Hieronymum, Chryostomum, Isido-  
rum Pelusotam l. c. adduximus. Addimus nunc Augustinum &  
Prosperum Aquitanicum, quorum ille lib. I. de bono persever. c. 17.  
Quod, inquit, vitio suo quisque deserat fidem, cum cedit ten-  
tationi atque consentit, qua cum illo agitur, ut deserat fidem,  
quis negat? Hic l. II. de vocat. gent. c. 9. (quos libros Ambrosio  
nonnulli tribuunt.) Qui ergò, ait, veniunt, amore ducuntur:  
dilecti enim sunt & dilexerunt; quæsi sunt & quæsierunt; &  
quod eos Deus voluit velle, voluerunt: qui ad obediendum sibi  
ipsum velle sic donat, ut etiam à perseveraturis illam mutabi-  
litate, quæ potest nolle, non auferat: alioquin nemo fideli-  
um recessisset à fide.

§. 62. Totalis amissio fidei, vel simul est finalis, ut in Saule  
Juda, aliisq; reprobis; vel temporaria, ut in Davide, Petro, a-  
liisq; post lapsus contrà conscientiam resipiscantibus.

## COROLLARIA.

I. In conversione hominis concurrat Deus modo speciali ac supernaturali cum verbo, & agit per illud in ejus voluntatem non quidem coactione, virtute tamen multò nobiliori & altiori, quàm qua in nuda svasione morali consistit.

II. Verbum Evangelii, per quod ceu instrumentum suum Spiritus Sanctus conversionem operatur, naturalem quasi & intrinsecam ab authore suo vim habet ad omnes qui id audiunt aut legunt tam electos quàm reprobos indifferentem, quantum in ipso est excitandi successive fidem in cordibus. Et hac efficacia nunquam ab eo abest, etsi vitio subjecti plenus effectus sepius intercipiatur.

III. Nulla vocatio Dei, sive ex se & intrinseca sua qualitate, sive ex Dei intentione est inefficax, ut nec possit nec debeat effectum salutarem, etiam ultimum suo modo producere, sed talis tantum fit vitio obstinatae hominum voluntatis.

IV. Fides, quàm credimus vel, actus fidei est & manet tantum organum justificationis, non verò fit materia imputationis: fides autem, quàm creditur, vel objectum quod creditur, h. e. obedientia Christi activa & passiva imputatur credenti ad justitiam, ut ita fides vi correlati sui, in quod fertur, tantum justificet.

V. Pœnitentia & justificatio, utut tempore simul contingant, actus sunt formaliter distincti, quorum ille hunc præcedit & homini intrinsecus est; hic illum sequitur, & in Deo formaliter est, homini verò non nisi per denominationem extrinsecam tribuitur.

VI. Aliter agit fides in pœnitentia, aliter in justificatione. In illa fertur ardenti desiderio in meritum Christi, illudq; fiducialiter apprehendit; in hac simul ac apprehendit meritum Christi oppidò ad Deum Patrem confugit, eique meritum apprehensum velut sufficientissimum λόγος pro peccatis exhibet, movetq; ut peccata remittat. Quia verò movet Deum non suâ dignitate, sed valore meriti

meriti Christi, hinc vocatur causa impulsiva justificationis instrumentalis, meritum Christi verò causa impulsiva principalis, siquidem hoc Deum ad peccata condonanda movet dignitate propria. Observandum tamen hic, apprehensionem meriti Christi & exhibitionem eius Deo factam non esse actus realiter distinctos, sed modo tantum concipiendi nostro.

VII. Una eademque actio, quatenus est à Spiritu Sancto, conversio; quatenus ab homine recipitur, pœnitentia dicitur; sed connotatis differunt; Conversio enim h. m. sumta est solius Dei actio transiens à Deo ad hominem viribus gratiæ destitutum; pœnitentia vero est actio immanens homini viribus gratiæ jam instructo.

VIII. Non abs homine, sed in homine à Deo est pœnitentia, qui homini dat pœnitentiam Act. V, 31. non immediatè, sed mediante verbo suo, ut quod est ordinarium instrumentum conferende gratiæ ad pœnitentiam ritè agendam necessaria. Rom. IV, 5. c. X, 16.

IX. Pœnitentia Sacramentum ortum est ab istis initiis. In primitiva ecclesia celebris fuit publica pœnitentia cum suis ritibus: privata aut nulla, aut arbitraria. Postea de necessitate privata confessionis & satisfactionis disputatum fuit sub Gratiano circa ann. M C XXX, sed non conclusum. Posthac Magister sentent. primus Sacramentum esse conclusit propriè dictum, & scholastici eum secuti de materia & forma ejus disputarunt; donec tandem anno M C CXV in Concilio Lateranensi processus judicialis ex confessione & absolute factus.

X. Implicari semetipsos qui contendunt remissionem peccatorum in genere quidem credi debere, at de singulis dubitandum esse. Veritas enim generalis propositionis verificatur in suis singularibus; ideoque si de singulis dubitandum, de omnibus quoque dubitari oportet.

XI. *Fides quæ justificat est notitia, assensus & fiducia, sed quæ justificat est nuda fiducia, sive apprehensio meriti Christi fiducialis. Et juxta hanc apprehensionem rectius dicitur justificata, quam justifica, quia instrumentum est non efficiendi, sed recipiendi justitiam Christi.*

XII. *Mutationem quandam fieri in pœnitentia non negamus, illa tamen mutatio, qua innovatur homo, non ipsa pœnitentia, sed ejus est effectus & necessarium consequens; sicuti novam obedientiam fructum dicimus pœnitentia, non partem, quamvis Apologia A. Conf. non usque adeo improbet eorum sententiam, qui novam obedientiam tertiam pœnitentia partem constituunt, cum Nos, inquit, constituimus duas partes pœnitentia, videl. contritionem & fidem. Si quis volet addere tertiam, videl. fructus dignos pœnitentia, i.e. mutationem totius vitæ & morum in melius, non refragabimur.*

XIII. *Absolutio sacerdotis non est judicium, sed ante illam prærequiritur judicium de absolvendo, quod tamen non est auctoritativum, sed ministeriale, & dependens à Deo non tantum quoad potestatem judicariam, sed etiam quoad ipsum pronuntiatum (ut ita loquar) judiciale.*

XIV. *In casu necessitatis, ubi ordinarius Ecclesia minister haberi nequit, cuius Christiano peccata nostra confiteri, & ab eo, ad accipiendam consolationem, absolutionem expetere possumus. Claves enim quæ ratione possessionis ad ecclesiam, & ratione exercitii ordinarii ad ejus ministros spectant, ratione exercitii extraordinarii cuius Ecclesia membro competunt.*

XV. *Ipsa acquisitio salutis actu, revera & efficaciter à Christo facta est, sine hominum fide Rom. V, 6. 8. 10. at applicatio sine fide nulla est, quinimò anima sive forma applicationis meriti Christi in fide consistit. Job. III, 16. 18. 36. Rom. III, 22. 26.*

XVI. Lu.

XVI. *Lutherus quando in libr. de serv. arbitr. scribit; Impius non venit, etiam audito verbo, nisi intus trahat doceatq; pateſ, quod facit largiendo Spiritum. Ibi alius tractus est, quàm is qui foris fit. Ibi ostenditur Christus per illuminationem Spiritus, quâ raptur homo ad Christum dulcissimo raptu & patitur loquentem Doctorem & trahentem Deum, potius quàm ipse quærat & currat: non de raptu violento & enthusiastico, sed ordinato & ad verbum alligato id intelligendum est, in quo sensu Orthodoxi etiam nonnunquam utuntur voce Germanicâ Entzückung.*

XVII. *Justificatio est perfecta, incrementi & decrementi experta quoad se, licet quoad ejus certitudinem ita gradatim probetur fides nostra, ut etiam suos interdum patiatur quasi defectus.*

XVIII. *Oppositio, quam instituit Paulus in negotio justificationis inter fidem & opera, non est inter opera & fidem præcisè & in se consideratam, sed inter opera legis & justitiam Christi fide apprehensam.*

XIX. *Egregia de nullitate satisfactionum humanarum est illa confessio Lanspergi cujusdam, Carthusiani, quæ extat in ejus enchirid. Christ. milit. c. V. Nolo ut cogites tu pro peccatis tuis poenitentiam te facturum, neque hoc intendas. Quare? quia tua peccata multiplicata sunt supra arenam maris. Nimis hæc multa, nimisque gravia sunt. Pro uno peccato non potes satisfacere, quid faceres pro innumeris? Non igitur cogites te poenitentiae opera facturum pro peccatis tuis. Hæc enim opera tua quantula putas sunt ad tot peccatorum acervos? Qui magna faciunt opera bona, & modica habent peccata, ù satisfaciunt pro suis peccatis. Tu verò quicquid egeris, refer ad honorem Dei, ut quicquid boni feceris, idè cogites atque statuas te facere, ut Deo placeas. Porro omnia opera tua cogita minora, quàm ut satisfaciant pro peccatis tuis.*

38  
tuis. Pro peccatis enim tuis Christi opera, ejusdemque dolores & vulnera, atque adeò ipsam ejus mortem illi offerre debes in unione amoris illius, quo hæc eadem pro te sustinuit. Hæc valent in tuorum peccatorum satisfactionem &c.

XX. *Pœnitentia non novam gratiam fœderalem constituit, sed idem illud fœdus, quod pepigit nobiscum Deus in baptismo, nosque peccatis nostris violavimus, redintegrat.*

XXI. *Omnis ligandus aut solvendus à sacerdote in calis ordine prius ligatus aut solutus sit necesse est, quàm sacerdotis ligatio aut solutio accedit.*

XXII. *Rectius dicitur in quovis bono opere peccare renatum, quàm renatorum bona opera esse peccata. Si tamen admitti debet hæc phrasis, dicendum bona opera esse peccata, non quà bona sunt, sed quà bonitate secundum legem inesse debita carent, si ve quà imperfectè bona sunt & ex parte vitiosa, quo respectu etiam renatorum opera bona largo modo peccata esse, ob imperfectionem ex indelebili concupiscentia iis annexam Bellarminus ipse confitetur l. IV. de justif. c. 21.*

XXIII. *Fides pro actu credendi sumta imputatur ad justitiam tanquàm causa instrumentalis; at accepta pro re credita imputatur tanquàm causa meritoria.*

XXIV. *Promissiones Evangelicæ non tantum objectivè excitant fidem, sed eandem etiam effectivè per modum organi operantur. Nam omnia verba divina viva sunt, quoniam intus in sensibus suis positam habent veritatem Dei quasi sanguinem in venis inclusum & ideo vivificant audientem, uti loquitur Auctor imperfect. oper. in Matth. homil. XLVI.*

XXV. *Jurare potest verè fidelis, ubi necessitas id efflagitat, sine omni temeritate, se esse justificatum & in gratia apud Deum, quod negat Bellarminus l. III. de just. c. 7.*

Tantum:

*Sit Nomen Domini benedictum! Amen.*

*Ad Praestantissimum Dominum*  
**JOHANNEM GEORGIUM BÖHLENIUM,**  
Westphalum, SS. Theol. Studiosum,  
*Publicè responsurum*  
**DE FIDE,**

**R** Ara Fides pietasq; solo. Super ætheris orbes  
Exul, quot fidibus ludit in orbe fides!  
Sed tibi sancta fides, quæ Christi langvine merfa  
si superet, quàm non constet in orbe fides!  
Perge fidem Christo, studioq; soloq; probare!  
Certa fides, fructu non caret illa fides.

*Celerr.*

Augustus Varenius, Acad. Rost. h. t. Rector.

**S**ola FIDES CHRISTO nos jungit; sola salutem  
Afert eternam Justitiamq; FIDES.

Pagina sic passim clamat sacra: PAULUS aperte hoc  
Monstrat, divinus Præco, salutis iter.

Ergo ringantur, dulci sub nomine JESU  
Orbi qui imponunt insidiasq; struunt;

Ringantur: Cui sola FIDES est janua vitæ,  
Cardoq; justitiæ, sit \* MONOPISTUS eis.

Pro nobis JESUS pugnat fortissimus heros;

Pro nobis PAULUS militat atque PETRUS.

Mosce Duces sequere: his tibi stat victoria signis.

Cum J. SU palmam semper, amice, feres.

\* Vid. Jesuitæ  
Cornæi  
disp. Pizli-  
puzlii cum  
anima sepa-  
rata Mono-  
pisti.

Præstantiss. Dn. Respondenti, Auditori suo solertissimo & singu-  
lariter dilecto, Inveni pio, erudito, modesto, cum voto  
omnigenæ prosperitatis scrib.

CHRIST. Kortholt / D.

**F**elix, doctrinam fidei qui pectore servat,  
Nam reddit justum sola Fides hominem.  
Tu quoque justitiam fidei conamine fausto  
Defendis, Voveo: Corde fidem teneas.

*Eruditissimo & eximio Dno Böhlenio  
ita acclamare voluit*

M. Hermannus Becker / Phys. & Met. Prof.

Ad

*Ad Eximium ac Eruditissimum Jovenem*  
Dn. JOH. GEORG. BOELENIIUM,  
S. S. Theolog. ac Philotoph. Studiolium  
industrium

Agnatum & popularem suum dilectum, de FIDE disputaturum.

**S**I quæquam PIETAS, ullum si CURA SOPHIÆ  
Commendant, Tu, spes Patriæ ac ejus Decus olim.  
Illis, præ multo, veluti diademate fulges.  
Nunc specimen primi clarum sub Præside tali  
Monstræ, JUSTICIÆ FIDEI Defensor alacris.  
Postremi restus chorus est, mi AGNATE, Sophorum.  
Perge ita sis, tandem TE præmia digna manebunt.  
Atque tuis ausis jam gratulor, adsit IHOVA!  
Dirigat ILLE, precor, porro conamina ! FIET.

*Celerrimè scrib.*

GEORG. Dicke / Corbach. Waldeccus.

*Ad Politissimum Dn. Respondentem*  
*Amicum suum dulcissimum*

**N**unc tua res agitur, nunc bellè pelle rebelles  
Non nisi viacenti laurea serra cadunt.

Johannes Bernhardus Becker / Dethm. Westph.

**Q**uæ sit vera fides, quæ sit fiducia nostra,  
Quidq; saluti hominum prosit ea ipsa fides  
Eximie è cathedrâ publicâ popularis amandæ  
Ausibus ingenuis tradere constituis  
Gratulor & voveo ut labor hic tibi prospera quæq;  
Ad ferat & studiis commoda cuncta tuis.

*Hæc amico suo integerrimo scribere voluit*


Casparus Germighausen. Corb. Wald.

**D**um tibi materiam tanti proponis, amice,  
Ponderis, hinc ausis omnia sausta precor.


*Hæc paucula amico suo fraterno præ  
ceteris dilecto gratul. app.*

Johan. Daniel Lahme / Mulh. Waldeccus,









*Ad Præstantissimum Dominum*  
**JOHANNEM GEORGIUM BÖH**  
*Westphalum, SS. Theol. Studiosum,*  
*Publicè responsurum*  
**DE FIDE,**

**R**ara Fides pietasq; solo. Super ætheris orbes  
Exul, quot fidibus ludit in orbe fides!  
Sed tibi sancta fides, quæ Christi langvine merfa  
si superet, quàm non constet in orbe fide  
Perge fidem Christo, studioq; soloq; probare!  
Certa fides, fructu non caret illa fides.

Augustus Varenius, Acad.

**S**ola FIDES CHRISTO nos jungit; sola salutem  
Afert eternam Justitiãq; FIDES.

Pagina sic passim clamat sacra: PAULLUS aperte hoc  
Monstrat, divinus Præco, salutis iter.

Ergo ringantur, dulci sub nomine JESU  
Orbi qui imponunt insidiasq; struunt;

Ringantur: Cui sola FIDES est janua vite,  
Cardoq; justitiæ, sit \* MONOPISTUS eis.

Pro nobis JESUS pugnat fortissimus heros;

Pro nobis PAULLUS militat atque PETRUS.

Nosce Duces sequere: his tibi stat victoria signis.

Cum J. SU palmam semper, amice, feres.

Præstantiss. Dn. Respondenti, Auditori fac  
latiter dilecto, Iuveni pio, erudit  
omnigenæ prosperitatis scrib.

CHRIST.

**F**elix, doctrinam fidei qui pectore servat,  
Nam reddit justum sola Fides hominem.

Tu quoque justitiam fidei conamine fausto

Defendis, Voveo: Corde fidem teneas.

*Eruditissimo & eximio*  
*ita acclamar*

M. Hermannus Becker/Phy

